

tabili animali atque Minerali Sal fieri: Id ipsum videmus passim in natura facere voluisse Deum, vt sub vili pretiosum congereret ne raperetur ab indignis. Notum est rerum creatarum vnicum esse genus generalissimum, à quo reliqua genera & species & indiuidua nata sunt, indiesq; propagantur in finem vsq; seculi. Hæc res est natura primitiua à Deo creata: Hæc est ille Phœnix tam occultatus à Poëtis qui igne nascitur, producitur & propagatur: Nullo etiam artificio deperire potest: Siue in aquis, siue in aëre aut in terra vel igne existens, perpetuo conseruatur & conseruat. Mysterium siquidem vniuersæ naturæ vitæq; humanæ medicamen, ad longissimam vsq; ætatem in se continet. Maxima sane est vis omnium salium in Medicina: Rerum virtutem in regenerato corpore esse diximus, in quo est rei proprietas. Vnde Alphidius sal non est nisi ignis, nec ignis Sulphur, nec Sulphur nisi argentum nostrum viuum, reductum in pretiosam substantiam cælestem incorruptibilem quam nos vocamus lapidem nostrum. Item, sal est tam mineralium quàm vegetabilium & animalium origo: Quia omnia in eo re-

*Ex rebus  
omnibus  
sal fieri.*

*Sal medi-  
camen ad  
longam  
vitam.*

*In sale sũt  
tres substã  
tiæ symbo  
lizantes.*